

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Caritas a  
cum fonte primo

In caritate  
pauper est diues;  
sine caritate omnis diues est pauper.

Hec in aduersitatibus tollerat,  
in prosperitatibus temperat;  
in duris passionibus fortis est,  
in bonis operibus hylaris est;  
in temporalibus ditissima,  
in hospitalitate latissima;  
inter bonos fratres letissima,  
inter falsos pacientissima;  
in Abel per sacrificium lata,  
in Noe per diluvium secura,  
in Abrahe peregrinacione fidelissima,  
in Moyse inter iniurias lenissima,  
in Dauid tribulacionibus mitissima;  
in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat,  
in Machabeis seuos ignes fortiter tollerat;  
casta in Susanna supra uirum,  
in Anna post uirum, in Maria preter uirum;  
libera in Paulo ad arguendum,  
humilis in Petro ad obediendum,  
humana in Christianis ad confitendum,  
diuina in Christo ad ignoscendum.  
Quid dicam de caritate?

Si linguis hominum loquar et angelorum

caritatem autem non habeam, nichil sum.

Ipsa enim est  
anima litterarum, prophetie uirtus,  
sacramentorum salus, sciencie stabilimentum,  
fidei fructus, diuicie pauperum, uita morientium.

Augustinus de laude caritatis.

Quapropter, fratres, sectamini charitatem,  
dulce ac salubre vinculum mentium,  
sine qua diues pauper est,  
et cum qua pauper diues est.  
Haec in aduersitatibus tolerat,  
in prosperitatibus temperat,  
in duris passionibus fortis,  
in bonis operibus hylaris;  
in tentatione tutissima,  
in hospitalitate latissima;  
inter veros fratres laetissima,  
inter falsos patientissima.  
In Abel per sacrificium grata,  
in Noe per diluvium secura,  
in Abrahae peregrinationibus fidelissima,  
in Moyse inter iniurias lenissima,  
in David tribulationibus mansuetissima.  
In tribus pueris blandos ignes innocenter exspectat:  
in Machabaeis saevos ignes fortiter tolerat.  
Casta in Susanna erga virum,  
in Anna post virum, in Maria praeter virum.  
Libera in Paulo ad arguendum,  
humilis in Petro ad obediendum:  
humana in Christianis ad confitendum,  
divina in Christo ad ignoscendum.  
Sed quid ego de charitate majus aut uberior possum  
dicere, quam quas per os Apostoli  
laudes ejus intonat Dominus,  
supereminente viam demonstrantis atque dicentes:  
Si linguis hominum loquar et Angelorum,  
charitatem autem non habeam,  
factus sum aeramentum sonans,  
aut cymbalum tinniens.  
Et si habuero prophetiam,  
et sciero omnia sacramenta,  
et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem,  
ita ut montes transferam,  
charitatem autem non habeam, nihil sum.  
Et si donavero omnes facultates meas,  
et si distribuero omnia mea pauperibus,  
et si tradidero corpus meum ut ardeam,  
charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.  
Charitas magnanima est, charitas benigna est.  
Charitas non aemulatur, non agit perperam,  
non inflatur, non de honestatur,  
non quaerit quae sua sunt, non irritatur,  
non cogitat malum, non gaudet super iniquitate,  
congaudet autem veritati.  
Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat,  
omnia suffert, Charitas nunquam cadit?  
Quanta est ista?  
Anima litterarum, prophetiae virtus,  
sacramentorum salus, scientiae solidamentum,  
fidei fructus, divitiae pauperum, vita morientium.

Augustinus Hipponensis, *Sermones de diversis*,  
350.3 (PL 39, col.1534-1535).